DE
EXCRESCENTIBUS CERVICIS UTERI BRASSICAE BOTRYTIDI SIMILIBUS
ADIECTIS TRIBUS EXEMPLIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICO - OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS HALENSIS

UT SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCATUR

DIE XXX MENS. NOVEMBR. A. MDCCCXLI

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROL. RUDOL. KARBE

MARCHICUS.

OPPONENTIBUS

C. Schwebes, med. et chirur. Dr.

W. Klotz, med. et chir. Cand.

HALIS,

FORMIS EXPRESSUM SEMMLERIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ERUDITISSIMO INTEGERRIMO

ANT. FRIEDER. HOHL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI ET POLICLINICI OBSTETRICII HALENSIS DIRECTORI ETC. ETC.

PRAECEPTORI

DILECTISSIMO VENERATISSIMO OPTIME DE SE MERITO

HANC DISSERTATINUNCULAM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Lectori benevolo.

Cogitanti mihi, de qua potissimum re dissererem, quum et in instituto policlinico obstetricio feminam partum edentem observassem, cuius uterus excrescentibus brassicae botrytidi similibus affectus erat; et *Cl. Hohl* duarum eodem malo laborantium feminarum historiam qua esse solet et benignitate et comitate mecum communicasset, opportunitate hac oblata utendum esse videbatur.

His rebus adiutus pauca de hoc loco antea non saepe tractato conscribere conatus sum; atque haec dissertatiuncula etiamsi viris doctis nequaquam sufficiet, praesertim quum structurae excrescentium per microscopium explorandae copia mihi non fuisset: hoc non tam voluntati meae tribuant velim, quam rei ipsi, quae propter magnas eius difficultates vires usumque meum superat. Atque satis magnum mihi pretium erit, alios erroribus meis eo adduxisse, ut usu experientiaque docti rem accuratius tractent.

Morbus, de quo agitur, primum a *Dr. Clarke*[1]) descriptus est, tum a *J. Burns.*[2]) Nostra memoria *Dr. B. R. Puchelt*[3]) de eo egit, sed ita, ut res satis perspici non possit. Ipsum verisimile est numquam vidisse morbum; totus enim hic locus obscure enarratus est et descriptio e libro *Cl. Burns* hausta. In exemplis allatis et discrimen statuum diversorum, et nonnulla momenta gravia commemorata non sunt, ut valetudo aegrotae, cuius plurimum interest in hoc morbo.

Quare, utens et libris de hac re scriptis et quarundam in nostro clinico obstetricio curatarum mulierum observatione, rem, quantum fieri potest, illustrare conabor.

Historias trium hic curatarum mulierum praemitto, ut infra ad eas recurrere possim.

I. Femina quaedam annorum quadraginta trium, quae tres iam liberos facile et sine artis ope pepererat, hucusque optima valetudine usa perturbatos sensit menses. Antea enim large et sine ulla molestia quarta quaque hebdomade profluxerant. Tum per satis longum temporis spatium modo prius, modo posterius incipientes parceque fluentes etiam qualitate mutati erant; sanguis enim dilutior, loturae carnis similis, sed sine foetore reperiebatur. Simulac menses profluxerunt, femina illa primo leves, deinde graviores sensit dolo-

---

1) Transactions of a Society for the improvement of Medical and Chirurgical Knowledge Vol. III London 1812 pag. 321.

2) *Burns*, Handbuch der Geburtshülfe ꝛc. übersetzt von *Kilian*, *Bonn*, 1834. p. 109.

3) *Dr. B. R. Puchelt*, de tumoribus in pelvi etc. commentatio. Heidelberg, 1840. cap. IV, p. 95.

res, qui omnino cum doloribus partum praeparantibus comparari poterant. Tempore catameniorum abdomen aliquantum turgescebat. Femina quum tempore, quo, menses profluere deberent, doloribus illis, qui pressione quadam ad inferiorem pelvim coniuncti erant, vehementer laboraret, venter intumesceret, mensesque desinerent: obstetricem adiit, per quam se gravidam esse certior facta est. Sed paucos dies post abdomen rursus tenue factum est pressioque desiit, urinam vero non facili negotio reddere poterat, atque in desidendo obstaculum quoddam sibi subesse sensit. Sed quum alvus denuo turgesceret, mensesque desinerent, arcessitus *Cl. Hohl* rem penitus explorans, originem mali statim invenit. Ex superficie externa, quae est in inferiore parte portionis vaginalis, et ex margine ipsius orificii uteri, excrescentia brassicae botrytidi similia vigebant, quae longitudine unius digiti erant et latitudine sesquidigitali. Digito tangenti mollia totumque orificium uteri circumdare videbantur, parvasque partes demittebant, quae subalbido et paene micante colore erant. Portio vaginalis et uterus ipse sani, sed in sinistra parte superficiei erant parva eiusdem generis excrescentia. Iam placuit, ut excrescentia instrumento infra descripto sensim premendo removerentur. Atque viginti quattuor horis interiectis excrescentia iam minora reddita; quarto die post parva tantum et omnino mollis pars supererat, quae una cum instrumento remota est. Tum denum os tincae tangi poterat. Post quindecim dies menses sine impedimento redierunt. Alia exploratione postero tempore instituta

patebat, portionem vaginalem omnino sanam solamque superficiem, in qua excrescentia creverant, inaequalem et asperam esse. Aegrota neque quum premeretur in exploratione, neque quum excrescentia constringerentur, dolores habebat; ceterum valetudo eius erat bona neque ullum vestigium dyscrasiae reperiebatur.

II. Christiana M., triginta novem annos nata, sanis parentibus orta, infans variolis perpessa, anno septimo decimo menstruis sine molestiis est gavisa. Anno aetatis vicesimo primo nupsit viro, et novem liberos peperit, quorum minimus annum et tres menses natus est. Mater omnes liberos suo ipsius lacte nutrivit; neque solum quum gravida esset, sed etiam quum partum edidisset semper bona gaudebatur valetudine. In proximo partu funiculum umbilicalem non satis longum fuisse dicit; placenta etiam solvenda erat, sed inerti obstetricis operatione anterius orificii uteri labium violatum esse memorat. Quum uberibus suis infantem alere desiisset, menses non redierunt, sed liquor loturae carnis similis emanavit, qui primo tenuis et benignus feminam non ita magnis molestiis affecit. Tempore natalitiorum Christi anni MDCCCXXXIX. femina se corpus quoddam in vagina habere sibi visa, doloribus quidem carebat, liquor vero ille largius profluens, crassior et nonnumquam sanguine mixtus erat. Iniectiones tum adhibitae nihil profecerunt.

Tempore Paschatis anni MDCCCXL. aegrotae corpus illud in vagina magis magisque delabi videbatur. Tum massae rubentes, magnitudine digitali et specie lactis harengae, cum liquore supra commemorato certe

duodecies emanaverunt. Necdum dolores aderant, sed aliquoties sanguis profluxit.

In corpore uteri per abdominalia integumenta nihil animadverti poterat atque femina omnino bona erat valetudine neque macie tenuata. Eploratione interna instituta vagina eiusque fornix sani reperiebantur, sed portio vaginalis uteri admodum brevis, tantum aberat ut orificium, quod sentiri posset, haberet, sed tumor quidam, magnitudine ovi gallinacei, usque ad mediam vaginam dependebat. Qui tumor erat duriusculus, aspera superficie, ut brassica botrytis, et non ita lato pediculo superfixus. Etiamtum in exploratione dolores non aderant, tumor vero saepe sanguinem fundebat et toto orificio superfixus esse videbatur; sed, teste medico antea aegrotam curante, ab anteriore labio profectus est.

Quare tumor ille, si proprias eius notas spectamus, eadem excrescentia brassicae botrytidi similia esse videbantur, quae *Dr. Clarke* (l. s. c.) descripsit; sed maciei, cuius mentionem observatores adhuc fecerunt, nullum vestigium aderat, quamobrem prognosis huius morbi etiam melior erat.

Statim igitur ligatura apparatus *Ribkiani* ope applicata est. Operatione paene sine dolore perfecta, tumor digito tangenti constrictus et iam postero die minor videbatur. Quum liquor emanans foetidus esset, iniectiones factae sunt. Sexto die tumor fissus totam vaginam explebat, et sensim minutus, ita ut massam formaret laxam, cute tenui et magnitudine pisi, die octavo decidit.

Alterum labium orificii uteri nihil praeter naturam ostendebat et longius videbatur, quam posterius, quod etiamtum granosum erat, uti sinistra pars posterior colli uteri. Liquor emanans tum parvus erat, neque quidquam nisi iniectiones astringentes adhibitae sunt. Aegrota ex curatione satis sana decessit.

Postea comperi, in asperis locis, quae supra commemoravi, excrescentia his similia exstitisse; quae, satis magna omnibusque medicaminibus resistentia, quum scalpello non removerentur, crebra profluvia sanguinis effecerunt, quibus femina mense Augusto c. succubuit. De cetera eius valetudine et de eo, quod ex necropsia, si qua facta est, patuerit, nihil comperi.

III. Dorothea S. annos quadraginta nata, sanis parentibus orta, quum puella esset, semper optima gaudebat valetudine. Inde ab anno undevicesimo menstruis usa, postquam anno vicesimo quarto in matrimonium ducta est, septem liberos facile et sine artis ope peperit. Medio mense Septembri anni MDCCCXL. octavo infante gravida, bona valetudine usa est usque ad mensem Maium. Hoc tempore enim repente dolores pungentes in ima pelvi habebat, qui maxime motibus vehementibus efficiebantur, in quiete vero evanescebant; simul liquor quidam flavescens et foetidus e vagina emanabat, cuius non tam natura, quam copia augebatur. Medio mense Iunio c. accessit gravedo quaedam in extremitatibus inferioribus, quae extremitates quum femina domi nonnullos dies quiete degisset, aliquoties ab articulis usque ad coxas valde intumescebant, sed tumor desiit, simulac aegrota in motu erat.

Pedes sine doloribus erant. Alvus erat bona et constans, neque cum doloribus coniuncta. Urina quamquam sine molestiis mittebatur, tamen ardor erat in urethra.

Pridie Calendas Augustas c. femina primos habebat dolores praesagientes ad partum, qui quamquam debiles erant et post breve temporis spatium desierunt, tamen postridie maiore cum vi redierunt. Quo factum est, ut magna copia aquae et paulo post duo fere sextarii sanguinis e vagina profluerent, sed conditio et valetudo aegrotae omnino non mutata est.

Tum auxilium petiit femina a clinico obstetricio.

Reperta sunt sollemnia graviditatis indicia exeunte mense decimo. Femina erat valida et robusta, sed quum fundus uteri premeretur, dolores exstiterunt. Foetus erat normali situ, ita ut moveri posset.

Exploratione interna instituta patuit, caput per fornicem vaginae tangi posse, neque iam pressioni digiti, quae aegrotae multos dolores effecit, cedere. Orificii uteri nullum vestigium, cuius loco firma, carnosa excrescentia erant, magnitudine ovi columbini. Mollis paries fornicis vaginae usquequaque in haec excrescentia transibat, ita ut discrimen observari non posset. Formam prae se ferentia brassicae botrytidis dependent in vaginam; a lateribus membrana mucosa circumducta, laevia, a latere vero adversa inferiore aspera, granosa et constricta, sed etiamsi vehementer premis, tamen sine sensu reperiuntur. Circumflexio eorum est a fronte unius digiti, dextrorsum dimidii,

sinistrorsum minor. Non sine negotio labium posterius assequi potes.

Secundo die Iulii. Dolores, qui heri inceperunt permanent et decima quaque minuta apparent et perverse a regione sacrali super abdomen, quod constringunt, usque ad umbilicum pertinent, ita ut parturiens gravibus doloribus afficiatur.

Iam quum exploratio tota manu institueretur, orificium uteri post illa in superficie duos digitos lata excrescentia ita apertum esse sentiebatur, ut digito intrare et caput tangere posses. Parietes colli uteri satis duri, sed laeves; interius orificium uteri molle.

Ex posteriore labio orificii uteri assurgunt excrescentia anterioribus simillima, sed minora; angulus sinister haud ita degeneratus est, dexter sanus et mollis.

Vesperi femina erat admodum sollicita, calida sudore cooperta; pulsus arteriarum nonaginta in minuta numerares; partus nihildum profecerat.

Tertio die Iulii. Femina quum noctu bene dormivisset, quietior est. Dolores ad partum rariores dimidia quaque hora fere apparent, sed fortiores constantesque ex regione sacra ad infimam pelvim pertinent. Vesperi dolores magis magisque minuuntur.

Quarto die Iulii. Aegrota quamquam non multum dormivit, tamen nonnullos tantum dolores tota nocte habuit; etiam interdiu compluribus horis interiectis redeunt, sed validi sunt et normales. Ceterum femina quieta est, neque vires afflictae sunt.

Quinto die Iulii. Aegrota non diu dormivit, sed bene habet et dolores omnino desierunt.

Hora decima antemeridiana dolores normales redierunt, singulis horis fiebant crebriores ac validiores et hora septima pomeridiana ita erant aucti, ut partus exspectandus esset.

Iam in lecto reclinata parturiente, facile super orificium uteri pervenire poteras, quod quidem etiamtum erat sinistrum et magnitudine unius digiti apertum. Etiam velamenta liquore amnii propulsa inter dolores admodum tensa tangebantur; caput vehementer doloribus propellebatur, sed postea in locum superiorem rediit, ubi interius molle orificium uteri capiti applicitum erat; portio vaginalis admodum minuta, excrescentia vero sicut antea; uterus ipse doloribus non praesentibus valde contortus. Nonnunquam aegrota se magnis doloribus concruciari dicit, ceterum omnino nihil sentit, etiam quum digito tangitur. Situs uteri et foetus, cuius motus bene sentiri possunt, normales sunt.

Iam sensim sensimque magna vis liquoris amnii emanavit, simul particulae anteriorum excrescentium solutae expellebantur; post dimidiam horam velamenta evanuerunt. Dolores erant gravissimi, sed dilatationem orificii uteri propter rigiditatem eius non effecerunt. Quum intra viginti quatuor horas alvus non fluxisset, clysmate ex infuso florum chamomillae inserto eiusdemque generis fomentis adhibitis, multae faeces et flatus emittebantur. Anima aegrotam reliquit, sed mox recreata est. Tum vero dolores erant graviores et crebriores, et anima rursus defecit. Ut orificium uteri magis molliretur, iniectiones in-

stitutae sunt infusi rad. Altheae, herb. Hyoscyam. aa ℥β ad colaturam ℥viij. Sed usque ad horam decimam nihil mutatum est. Aegra pars orificii uteri admodum extensa; dolores gravissimi, ita ut metuendum esset, ne ruptura fieret. Tum dolores erant continui, et quum parturiens vehementer ad partum laboraret, caput subito coronatum est. Aegrotae partes labiorum uteri evanuerant et internum orificium circumdedit caput, quod vehementer propulsum celeriter in lucem editum est; humeros arte expeditos ceterum corpus facile secutum est. Infans erat robustus, caeruleus et mortuus esse videbatur, neque erat. Placenta iam soluta facile removeri poterat.

Uterus normaliter contractus non dolebat. Excrescentia ex utroque labio orificii uteri bene tangi poterant, sed multo minora mollioraque erant, quam antea.

In puerperio nihil nisi foetidae lochiae animadversae sunt; excrescentia sunt eadem et fere sine doloribus, sed liquor emanans, qui ex hebdomade tertia augetur, flavescens et foetidus est. Excrescentia facile sanguinem mittunt.

Descriptio morbi, quam *Cl. Clarke* l. s. c. dedit, omnino sufficit, quare ne ipse eadem dicere coactus spoliare videar, potiora ex illius commentatione accuratissime observata et conscripta excerpam.

Excrescentia brassicae botrytidi similia semper e parte quadam circuitus orificii uteri externi oriuntur. Prima quum morbi symptomata haud ita ab aegrotis animadvertantur tumor principio raro a medicis ob-

servatur. Initium igitur mutationum omnes fugit. Cl. *Clarke* exemplum vidisse, in quo excrescentium circuitus ovo merulae minor fuisset non meminit. In hac periodo faciem prae se ferunt irregularem, basis, qua superfixa sunt orificio uteri aequat latitudine ceteras eorum partes. Superficies granulata tangitur; imo valide imprimas nihil sentitur. Reliquae oris uterini partis, quod sentiri possit nihil mutata structura; accrescente morbo, sensim ceterae partes orificii uteri et faciei externae cervicis corripiuntur malo et tandem omnino quasi involvuntur.

Incrementum morbi in diversis casibus diversum, in nonnullis tam rapidum, ut intra novem menses totum pelvis cavum impleatur et ipse vaginae introitus praecludatur.

Ambitu tumoris aucto structura granulata luculentius sentitur; simillima redditur brassicae botrytidi, si altius crevit. Plerumque tumor est consistentia molli atque caduca, ita ut si vehementius tangas solvantur coloris albicantis particulae, interdum etiam sua sponte decidunt et cum urina vel cum liquore emanante e vagina eiiciuntur.

Simulac tumor totum orificium occupavit, celerrime crescit, et quum basis minima eius pars sit, a nonnullis, quos hic morbus fugit, pro polypo habitus est. Si vero respicias ad tumoris sensum et baseos latitudinem, mediocre studium sufficit ad diiudicandum.

In primo excrescentium stadio fluxus e vagina sicuti in fluore albo, tum dilutior et interdum etiam sanguine tinctus reperitur. Plerumque emanat tenuis et

pellucidus, ut aqua; lintea vero ad recipiendum supposita exsicando rigescunt quasi amylo firmata. Excrescentia si latiora accreverunt, liquor unius diei spatio emanans sufficit ad pannos decem vel duodecim replendos. Nonnunquam etiam sanguis purus profluit, quem iterum liquor ille pellucidus sequitur. Odor offendens nares illum comitatur, qui foetidissimus redditur post sanguinis profluvia et menstruationem. Per totum morbi decursum puris ne vestigium quidem in illo liquore reperit *Cl. Clarke*; interdum mucum interfuisse dicitur. Initio morbi catamenia paullulum tantum afficiuntur, uberius vero solito profluvium lentiusque; saepe etiam in haemorrhagiam mutantur gravem. Valetudine afflicta et menses perturbantur, qui ultimo morbi stadio nullas prorsus periodos sequuntur.

Si dolores respicis aliae aliter se habent feminae. Initio carent doloribus, qui postea saepius sentiuntur in regione sacrali et ad ligamenta uteri rotunda; nunquam vero fulminantes describuntur, ut in cancro, neque paroxysmis capiunt incrementum. Plerumque oriuntur, si aegrota diutius stetit erecta.

Morbus invadit feminas cuiusque aetatis; *Cl. Clarke* vidit exemplum, quod ante annum vicesimum quintum aegrotam morte affecit. Aegrotae succumbunt viribus continuo uberrimo e vagina fluxu consumptis; macies earum summa. Haec symptomata ex solo illo profluvio originem trahere eo probatur, quod recreantur feminae remotis excrescentibus et simul cum illis sublato succorum detrimento; aeque ac prius vero affliguntur, si nova progenerantur excrescentia. Feminam hoc

morbo laborantem sanatam vidit nullam, omnes serius eius succubuerunt. Excrescentium basi ligatura constricta vasa eius collabuntur, ita ut tumoris ambitus valde diminuatur; vasa ipsa evanuerunt, quod idem morte aegrotae efficitur. Dissecta enim vagina, corpore et fundo uteri sanis nihil nisi inhaerens ori uterino massa quaedam reperitur mucosa, laxa, albicans, tenerrima parti foetali placentae animalis herbivori similis; post mortem vasa eius iniici non possunt. Symptomata sympathica vel quae compressione partium vicinarum tumore efficiuntur, quia in aliis etiam morbis eadem sunt, plane omitto.

Similis morbi descriptio legitur in *Cl. Burns*, l. s. c. quam ex hac *Clarkiana* commentatione, quum ipse morbum non viderit, promptam confitetur, depravata vero nescio an huius scriptoris culpa, an *Cl. Kilian* versione minus accurata.

Comparabo hunc morbum cum aliis ei similibus, quibuscum antea a multis medicis nomine cancri in idem genus relatus est. Primum de carcinomate agam.

Diversa horum duorum morborum natura optime ex eo, quod ex necropsia patet, demonstratur, quia scalpello degenerationes carcinomatis luculenter ostendi possunt, et nonnumquam multo diffusiores apparent, quam, viva aegrota, putaveras; in morbo vero, de quo agitur, medicus non satis peritus explorationis manualis, hac vel male vel omnino non usus admodum miratur, rem longe aliter evenisse; nam nec scirrhus, nec ulcus exedens reperitur, sed tantum mollis et albicans in membrana mucosa in haerens massa albu-

minosa in collo et orificio uteri, quae non admodum est prona et fere vicies minor, quam eo tempore, quo femina erat viva; nonnunquam collum uteri aliquantulum densatum reperitur; in nonnullis aegrotis omnino nihil mutatum esse dicitur.

In carcinomate et cutis et glandularum (qua natura carcinoma uteri fere semper est) ulcus reperitur, cui in altero durities scirrhosa, idque maxime in vagina, vesica et intestino recto. In morbo autem, de quo agitur nec ille prominens margo ulceris, ulcus enim omnino non adest, nec scirrhosa illa durities. Partes etsi digito tangenti duriusculae sunt, tamen neque duritiem carcinomatis, neque dura eius tubera habent. Durities potius ea est, quam Duparque in simplicibus Engorgements orificii et colli uteri describit. Granulationes, quae bene tangi possunt, non in substantia organi sunt, sed in membrana mucosa oriuntur.

Iam in excrescentibus dolores primo quidem nulla sunt, vel certe non saepe existunt et semper fere motibus vehementibus aut positionibus incommodis, quibus abdomen premitur, efficiuntur. In carcinomate dolores saepe sine aperta causa existunt, acres, fulminantes, e regione renali usque ad crura pertinentes; denique; id quod in carcinomate saepe et subito fit, copia satis purae aquae non proruit.

Aegrota caret etiam specie cachectica, quae in carcinomate celeriter evenit, et infirmitas corporis, quae solo succorum et sanguinis detrimento efficitur, apta curatione saepissime in longum tempus removeri

otest. In carcinomate non item; quamquam fieri po-
sst, ut post aetatem criticam feminarum etiam magna
rcinomata diu adsint, sed ita, ut vires aegrotae non
ı debilitentur, ut Duparque recte dicit; ulcus vero
mi tum caret irritatione, non multum liquoris emanat
granulationes desunt, id quod ex eo explicari vult,
od diathesis carcinomatosa in hac aetate intereat.

Etiam a fungo medullari morbus noster maxime
ffert, id quod ex necropsia patet. Numquam unum
ntum organum eo afficitur, et plerumque stadia eius
nnia in cadavere demonstrari possunt. Fungus me-
llaris, aegrota viva eo differt, quod celeriter mag-
m tumorem efficit, satis durum, elasticum, sae-
que cum simillimo fluctuationis sensu. In stadio
iditatis superficies est laevis et membrana organi,
inhaeret, inducta. In stadio exulcerationis fungus
rrumpit hanc membranam, et fungus verus e vulnere
curiatur, qui ex parte abiectus et denuo generatus
ius vagatur, et si uterus erat sedes mali, mox effi-
, ut etiam vesica atque intestinum rectum diruantur.
succorum detrimentum semper gravissimum est, et
emorrhagiae crebrae ac magnae levissimis causis
stunt; digestionis organa affliguntur, praesertim
um etiam ventriculus et glandulae mesenteriales
pissime morbo afficiantur. Quare aegrotae febri
ticae nimiisque doloribus succumbunt. Quodquam-
m fungus medullaris in orificio uteri operatione
us exstirpatur, tamen, si res feliciter cedit, in alio
odam organo eo citius crescit mortemque brevi tem-
e semper efficit.

2*

Decursus nostri morbi, ut supra demonstravimus longe alius est, atque una cum magno discrimine formae, diagnosi maxime inservit.

A fibrosis polypis excrescentia brassicae botrytidi similia non tam symptomatibus, quam forma singulari consistentia totoque decursu differunt. Polypi saepissime tenui pediculo insident, et *F. A. Walthero*[4] auctore, sedem habent in fundo uteri, collo, orificio. Formam habent piri; superficies primo est laevis consistentia astricta atque elastica. Excrescentia autem lata basi colloque uterino insident; digito tangenti molliora et minus elastica videntur, et statim ab initio laevibus lateribus ac latiore singulariter granulata superficie utuntur, qua et ipsa a polypo illo differunt, qum in posteriore stadio, ulceratione erosus, aut membrana, qua obductus est, fissa, superficiem nactus est rimosam et in complures lobulos divisam. Qum premitur magis resistit maioremque dolorem efficit, sed excrescentia licet digito valde premas, tamen omnino nulli dolores excitantur (ut in exemplo tertio supra enarrato.)

---

4) *F. A. Walther* in annotationibus suis academicis, Berlin 1786. p. 25. congruentiam loci et consistentis materiae assumens polypi condensati, inquit, semper fundo uteri rigidi cervici vel ori uterino, laxi vaginae insident. — Sed res non semper ita se habet, nam etiam corpora fibrosa in vagina reperiuntur, non autem in pediculis tenuibus. Polypos etiam molles ac vermiformes in cavo uteri et interno collo uteri in necropsiis institutis reperi sed praeterea ovaria vel tubae, vel fundus uteri semper alio morbo laborabant.

Similior est polypus mucosus, consistentia autem, rma, colore differt; *Chelio* [5]) enim auctore est vel erpallidus, vel subalbus, vel flavescens; vasa sangui-ra in eo rarissima; quare sanguinem non fundit, sed ultum pituitae secernit; totus polypus constare dici-ır ex membrana mucosa hoc loco emollita et hyper-rophica. Est mollis ac lubricus et digito exploranti ıcile elabitur; semper fere pediculatus; sedes eius st vagina; basis, quae eum fert, interdum intumes-ns, sed non tam durata, quam emollita. Quibus ıtionibus aliquantum differt a morbo, de quo agitur.

Steatoma quum semel tantum in cavo uteri obser-ıtum sit, idque a *Iam. Bell* et in Edinburg medical nd surgical Iournal descriptum sit, reliqui autem uius generis tumores omnes in substantia corporis bservati sint, nihil amplius de eo dico.

Ceterorum excrescentium, quae ex orificio uteri nascuntur, vix mentionem faciendam esse existimo, am condylomata certo numquam sola sine aliis signis yphilidis, qua orta sunt, reperiuntur. Atque in eleangiectasiis varicosis divaricationem vasorum capil-arium morbo quodam huius systematis generali non-umque satis perspecto effici; (sed si morbus interdum erto tantum loco inhaeret, semper iam in recens nato eperitur) [6]) neque ceteris eius partibus omnino peper-issе verisimile est.

---

5) *Chelius* Chirurgie Tom. II. XV. § 1991.

6) Quidam homines plurimas habent teleangiectasias vari-cosas; virum enim novi, qui certe decem habet magni-tudine pugillari, multosque minores; orta sunt anno

Iis, quae modo dixi, comparans morbum nostrum cum similibus in eodem loco existentibus, diagnosin statuere quam maxime studui; quamquam concedo neque ignoro, in natura, ubi status interdum sunt simillimi, morbum non tam facile cognoscendum esse, quam perlectis iis, quae attuli, putares.[7])

Aetiologia satis obscura est, neque ullus scriptor certam causam affert. Haec tantum certo dici possunt: Feminae hoc morbo laborantes inter viginti et quadraginta annos natae, partusque plures enixae erant; violatum in proximo partu orificium uteri causam mali esse dicunt; sed num orificium uteri propter naturam eius eo iam tempore aegram violatum sit, affirmari non potest. Certae dyscrasiae, quae apud nonnullas quidem feminas eius generis reperta sit, numquam mentio facta est, neque scimus, utrum feminae, quae numquam pepererint, hoc malo affectae sint, necne; equidem nullum huius generis exemplum inveni; quamquam *Cl. Clarke* rem fieri posse contendit.

Venio nunc ad difficillimam eandemque gravissimam totius opusculi partem, ad definiendam naturam huius mali; gravissimam, inquam, quia sola cognitione naturae morbi rationalis curatio institui potest.

---

aetatis tertio, ita ut causa ignoretur; atque etiamnunc lente quidem crescunt.

7) Quare optandum est, ut medici nostri, sicuti Frankogalli speculo vaginae atque uteri saepius utantur, quod ad modum idoneum est ad morbos uteri saepenumero inter se simillimos diiudicandos.

Cl. Clarke nullam certam proposuit opinionem, isi quod dicit: Si omnia huius generis excrescentia usdem structurae sunt, merito propter similitudinem eofluviorum credimus, rationem morbi esse incremen- um substantiae cuiusdam praeternaturalis in orificio teri, quae tactu solida sentitur, effusis vero quos ontinebat humoribus, collabitur ita, ut ambitus multo iinuatur. 8)

Cl. Herbiniaux opinione, eadem iis natura, quam olypis mucosis esse videtur, quod non satis recte ictum esse supra iam demonstrare conati sumus.

Cl. Dr. Puchelt dicit, morbum nihil aliud esse uam fungosa excrescentia veri carcinomatis; sed quum ententiam suam rationibus non confirmet, nihil amplius e ea dicendum esse iudico.

Ill. Krukenberg morbi rationem esse telae cellu- osae, qua membrana genito-urinaria conglutinatur um ore atque cervice uterino, peculiarem quandam elaxationem, cum nimia seri infiltratione coniunctam, uare etiam fieri, contendit, ut post mortem humorum esorbtione exhalatione diutius perdurante, excrescen- a evanescerent, quod contenta eorum resorberentur.

Ingeniosissimi praeceptoris secutus subtilissimam ententiam singularem morbo naturam vindicandam eque in genus cancrorum neque in polypos referendum

---

8) Incredibili modo *Cl. Dr. Puchelt* his verbis adductus opinionem prorsus falsam l. s. c. conscripsit, *Cl. Clarke* teleangiectasiam contendisse huius morbi causam, cuius ne mentionem quidem fecit auctor.

esse, censeo. Si assumis totum morbi decursum e quod tantum in portione vaginali uteri reperitur neque etiam ad alia organa pertinet, eum e dyscrasia ortum esse optimo iure negabis.

De ratione medendi non multum dici potest. Medicaminum nullum adiumentum est, id quod ab omnibus medicis, qui aegrotas huius generis curaverunt conceditur; atque hoc tantum iis efficitur, ut vires atque concoctio ciborum conserventur. Unum auxilium est in tollendis excrescentibus.

Quamobrem *Cl. Clarke* ligatura usus est; cuius ope remotis excrescentibus liquor ille emanare desiit et vires recreatae sunt; sed post aliquantum temporis et collum uteri morbo affectum exulcerationes praebuit parvas et inter irritationis uterinae symptomata femina vel maxime debilitata obiit. Unicum remedium, quo feliciter usum se scribit, iniectiones sunt paratae ter quotidie ex decocto forti cort. Granati vel cort. Quercus, in quo aluminis soluta sunt grana octo vel decem ad unciam, quibus et liquoris multitudo minuatur e foetor removeatur.

Etiam nos in duobus prioribus exemplis compressione in basi excrescentium usi sumus; primum ligaturae apparatu Ribkiano, secundum instrumento quodam singulari, cuius auctor *Cl. Hohl* [9]) est.

---

9) Instrumentum simillimum forfici intestinali *Cl. Dupuytre* constat ex duabus partibus in modum forficis coniunctis quarum altera obtusa in alteram, in modum specilli sulc instructi inseritur et sicut forceps polyporum curatio

Sed in altero casu, ut supra diximus, recidiva accidit, quae aegrota postea, altero medico curante, extincta est. De altero nihil comperi.

Herwes de Chegoin [10]) et *Récamier* [11]) collum uteri amputaverunt atque post longum etiam temporis spatium curatio bona reperta est; haec autem, quam modo memoravi, ratio haud scio an accurato examine indigeat; nam neque periculum, neque incommoda exstirpationis totius organi metuenda sunt, atque in nostro morbo, loco, o quo ortus est, sublato, propter naturam localem recidiva fieri non posset [12]) *Cl.Kilian* l. c. dicit, se excrescentia forfice magna Cooperiana in basi prospere praecidisse, ita, ut statim morbi symptomata omnia desinerent; sanguinis non multum effusum esse confirmat.

Ratio medendi a *Ph. Michaelis* [13]) tentata non commendanda est, nam Kali caustico fit, ut granulatio-

---

inserviens annulo comprimitur; alterum instrumentum, quod una cum illo usurpandum eodemque modo constructum est, sesquidigitum a cuspide, ad planum in angulum rectum flexum est. Basis excrescentium inter duas partes inserta eo amputatur, quodinstrumentum sensim clauditur.

10) *Duparque* Abhandlung über die einfachen und krebshaften Veränderungen der Gebärmutter, übersetzt von *Dr. Flies*, Leipzig 1838. p. 37.

11) *Récamier*, *Recherches* sur le traitement du cancer etc. Tom. I. p. 332.

12) Copiosus haec operatio diiudicata est aqud *Duparque* l. c. p. 224. Fortasse complures casus huc pertinent, in quibus Lisfranc operationem prospere adhibuit.

13) Loders Journal für die Chirurgie, Geburtshülfe und gerichtliche Arzneikunde. Thl. III, pars IV, p. 650. Jena 1802.

nes fungosae, eamque ob rem haemorrhagiae ac secretiones profusae augeantur; praeferendus utique est Lapis infernalis, quamquam non ita penetrat in corpus, et alumen ustum, quod non tam causticum, quam astringens est. Liquor hydrargyri nitrici, quo *Récamier* usus est, qualia commoda praebeat, quum neque penetret, neque astringat, diiudicare non audeo.

Prognosis huius morbi antea raro observati saepeque in genus cancrorum relati necessario dubia est; pendet enim a sede et expansione excrescentium et a valetudine aegrotae. Apta curatione, neque graviditate cum morbo coniuncta, quam subesse posse multis exemplis probatur, aegrotae, ut supra iam demonstravimus, diu conservari possunt, etiamsi non sanantur.

Alia est ratio, si graviditas adest, maximeque, si infans in lucem editur.

Tempore graviditatis, potissimumque ultimis mensibus (v. obs. III.), maiores vel minores dolores existunt. Aegrotae habent sensum lassitudinis, satietatis anxietatis, nonnumquam dolores in regione sacrali in pelvi, in cruribus. Liquor e vagina emanans fit crebrior, saepe cruentus; interdum etiam purus sanguis profluit. Curatio nulla, nisi qua molestiae minuuntur; mediocris motio sub divo utilissima est. In pariendo duae priores periodi lente procedunt ac feminae interdum doloribus cruciantur; dolores praeparantes partum sunt magis minusve contra consuetudinem; haemorrhagiae iam tum periculosae existere possunt. Dilatatio orificii uteri, gravissimus in partu processus, maxime pendet a sede atque ambitu baseos tumoris; nam si

tumor in uno tantum labio eius inhaeret, atque maior pars sana est, orificium facilius expandetur, atque auxilio artis, si quod indicatum est, locus erit; sin autem maior pars orificii uteri (ut in obs. III), aut totum orificium collumque uteri excrescentibus coopertum est, prognosis et matri et infanti multo gravior est, quum fieri possit, ut vires parturientis consumantur, ars vero auxilium ferre non possit; nam cruenta dilatatio orificii uteri matrem adhuc semper morte affecit, neque sine difficultatibus est. Optimum videtur, hunc processum naturae committere, quae aptis iniectionibus fomentationibusque adiuvanda est, atque hoc tantum curare, ne vires parturientis debilitentur; quae ratio et in exemplo supra commemorato (v. obs. III.) et in ceteris, quae novimus, optimo erat eventu.

Magnitudo excrescentium non tam apertioni orificii uteri impedimento est, quam progressui capitis; sed etiam periculum, ne sanguis fundatur, augetur; quamquam hoc non solum natura excrescentium, sed etiam placenta maturius et ex parte soluta efficitur, cuius rei ratio vehementes contractiones uteri sunt, ad aperiendum orificium uteri necessariae. Quod haud scio an factum sit, ut in observat. III. infans, quamquam celeriter per pelvim penetrabat, speciem mortis haberet, totae vero secundinae iam solutae eum statim usque in vaginam sequerentur. Tumor autem quum mollis sit, atque in aperiendo orificio, uteri cum exteriore orificio id quod in nostro etiam exemplo factum est [14])

14) Quod excrescentia in tertia partus periodo evanescunt, eam etiam ob rem est grave, quod demonstratur, exterius

in maiorem pelvim regredi soleat, non facile impediet, quominus caput progrediatur.

Sin autem propter nimiam magnitudinem in pelvi minore maneat, neque capiti, quamquam tumor satis comprimi potest, penetrandi locus sit, nihil reliquum est, quam ut scalpello vel forfice, si ligaturae non confidis, tumor tollatur, (id quod *G. A. Michaelis*[15]) de fungo medullari fecit, atque *Kilian*[16]) omnino faciendum esse dicit); sed operationibus obstetriciis, id quod *Denman* fecit atque *Puchelt* suadet, non utendum est, primum enim pelvis certo non ita repleta est, ut manus vel instrumento immittendo locus non sit, praesertim quum partes genitales in partu valde extendi possint; deinde etiam minus fieri potest, ut caput infantis vel minutum per has angustias traducatur, id quod *Denman* expertus est.

De periculo rupturae uteri non multum dicendum est; in iis certe feminis, quas excrescentibus laborantes partu levatas esse legimus, orificium uteri sine artis ope serius ocius aperiebatur, neque ruptura uteri accidit, quae in carcinomate saepe observata est. Num id, quod *Ph. Michaelis* in exemplo ab ipso allato rup-

---

orificium uteri non aeque ac interius extendi substantiamque eius tantum extenuari, sed super interius, si extenditur, uti hoc super integumenta et caput, illud super hoc ut super trochleam retrahitur, et interius orificium uteri solum tangi posse, si caput coronatur.

15) Neues Journal für Geburtskunde von Busch, D'Outrepont und Ritgen, Berlin 1836. Thl. IV. p. 176.

16) l. c.

turam vocat, nihil aliud fuerit, quam una ex illis rugis orificii uteri, quae antea cicatrices habitae sunt, atque post partum saepe reperiuntur, (quod eo verisimilius est, quod etiam in nostro exemplo sanus angulus orificii uteri multo amplior fiebat, quam ceterae eius partes, quin etiam supra modum extendebatur et quod post partum reliquo ambitu multo altiorem illum esse sentiebatur) incertum est; sed profecto nihil vel paulum valebat, quum *Michaelis*, bonus observator, mentionem eius nusquam faciat. Post partum aegrotae viribus celerrime consumptis haud magno temporis spatio interierunt.

Iam de exemplis, quae *Dr. Puchelt* affert, pauca quaedam dicere atque, utrum huc pertineant necne, quaerere lubet.

Quin prima ex libro *Clarkiano*[17]) mutuata observatio recte se habeat, nemo dubitat.

Altera secundum *Denman*[18]) reddita observatio merito vituperanda mihi videtur. Nam *Denman* dicit, se ad gravidam quandam vocatum, quae mense octavo haemorrhagiam magnam habuisset, in exploratione interna in vagina „magnum et fungosum tumorem invenisse, quem tum formae tum magnitudinis causa pro placenta habuit." — Quid ex anamnesi profecto necessaria patuerit, et utrum anamnesis omnino facta sit, necne, de hac re, quamvis operae pretium esset, nihil dictum est. Scriptor etiam nihil dubitasse vide-

---

17) vide l. s. c.

18) Introduction of midwifery; traduite de l'Anglais par I. F. Kluyskens. Tom. II, p. 168.

tur, quin placenta etiam sine doloribus antecedentibus in vagina esse possit; sed huius rei certum exemplum non exstat, quo ad illam sententiam adducatur. Postquam tumorem excrescentia orificii uteri esse cognitum est, partum accelerare aptum videtur, quum altera haemorrhagia acciderit. Haemorrhagia qua causa orta sit, non quaeritur; quin etiam num dolores adfuerint et orificium uteri num apertum et quantum fuerit, non dicitur. Causa quoque, ob quam tumor exstirpari non potuerit, non affertur; si magnitudo eum operatione impedivit, intelligi non potest, quomodo sperare potuerit, se infantis caput vel perforatum per hanc angustiam traducturum esse. Causa si alia erat, vehementer eam desideramus. Atque rursus non patet, quomodo *Denman* caput infantis profecto vivi perforare potuerit, quamquam antea accuratam explorationem tota manu non instituit, qua statum cognosset. Sed confitetur, se sedem mali in anteriore labio orificii uteri in sectione demum invenisse. Nullo pacto autem perforatio, ut supra iam demonstravimus, hoc loco indicata erat. Ratio et natura mali, hisce verbis tantum significata: „à la forme d'un choufleur," quales sint, lectoris arbitrio committitur.

Autographum quum mihi non praesto sit, diiudicare non possum, utrum haec observatio in hac forma ab ipso *Denman* scripta sit, an a *Cl. Puchelt* hoc modo excerpta, quod multo verisimilius est.

Tertium exemplum a *Ph. Michaelis*[19]) mutuatum,

19) Loders Journal für Chirurgie, Geburtshülfe und gerichtliche Arzneikunde. Thl. III. P. IV. p. 639. Jena 1802.

accurate enaratum est. Malum statim totum cognoscitur atque singularis natura ei tribuitur; errorem de graviditate ignoscimus; sed non satis apparet, quid usum Sabinae indicaverit, cuius effectus partui immaturo statim venienti, etiamsi inclinatio in morbo uteri iam erat, tribuendus est. Atque dolendum est, quod *Michaelis* consilium suum ligaturae applicandae secutus non est; etiam si metuendum erat, ne partem orificii uteri simul constringeret. Usus Kali caustici, ut supra iam diximus, dignus non est, quem imiteris. Mirum etiam est, quod Tr. Cinnamomi haemorrhagiarum bonum remedium erat, nam, quod equidem sciam, hoc a nullo medico in carcinomate observatum est.

Quartum exemplum, quod *Dr. G. A. Michaelis*[20]) habet, de fungo quodam medullari orificii uteri, in partu observato, agit, et quamquam fungus bene cognitus apteque curatus erat, tamen, ut consentaneum erat, aegrota succubuit.

In exemplo quinto, quod *Mdme Lachapelle*[21]) habet, narratur normalis decursus feminae partum edentis, quae excrescentibus brassicae botrytidi similibus affecta erat, atque multis rationibus exemplo a nobis observato simile est; sed de natura eius nihil certi dici potest, cum etiam hoc loco scriptor non satis accurate loquutus sit.

---

20) Neue Zeitschrift für Geburtskunde von Busch, D'Outrepont und Ritgen. Th. IV. p. 176 Berlin 1826.

21) Pratiques des accouchements publiée par *Ant. Dugès*, son neveu. Paris 1825 Tom. III. p. 368.

In sexto et septimo exemplo, e *D'Outrepont* [22]) et *Zeppenfeld* [23]) haustis, narratur de vero carcinomate uteri cum graviditate coniuncto. Quae quum huc non pertineant, nihil de iis dicendum esse existimo.

---

22) Abhandlungen geburtshülflichen Inhalts, Tom. I p. 276.

23) Dissert. inaug. med. sistens casum singularem carcinomatis uteri cum graviditate coniuncti. Berlin 1828.

Vita.

Carolus Rudolphus Karbe, fidei addictus evangelicae, na-ss sum die XXVI. Aprilis MDCCCXVI in praedio regio *Blan-mburg*, haud procul a *Prenzlau* sito, patre *Augusto Karbe*, griculturae consiliario, matre dilectissima *Guilelmina* e gente *Baerensprung*, quibus adhuc vivis gaudeo. Primis littera-rm elementis in *beat. Stahr*, divini verbi ministri, instituto ibutus, in gymnasium, quod Berolini floret, Colonicum a ctore *Cl. August* receptus sum. Tempore vernali MDCCCXXXVII. adrinam petii universitatem Wratislaviensem, ibique a rectore agnifico *Cl. Abegg* inter cives academicos receptus a *Cl. Otto* t. decano spectatissimo medicorum ordini asscriptus sum. Post num et dimidium ad universitatem *Berolinensem* me contuli, i apud *Cl. Ioh. Müller*, t. t. rectorem magnificum et apud . *Schulz*, t. t. decanum nomen professus sum. Anno elapso nc almam universitatem Halensem adii, rectore magnifico .. *Pernice*, post quinque menses ab *Cl. Friedlaender* gratioso edicorum ordini ascriptus sum.

Praeceptores, quibus disserentibus interfui, sunt hi:

De logice et psychologia *Cl. Braniss*, de corporis sani hu-mni anatomia, de osteologia et syndesmologia, de anatomia mparata, de historia foetus *Cl. Otto*; idem mihi per duo nestria dux fuit in cadaveribus rite secandis; de mineralogia *Glocker*; de zoologia *Cl. Grawenhorst*; de physice *Cl. Pohl*; botanice *Cl. Göppert*; de chirurgia generali et speciali, de trumentis chirurgorum et fasciis rite applicandis *Cl. Benedict*; materia medica *Cl. Wendt*; de pathologia generali *Cl. Pur-je*; de semiotice *Cl. Henschel*; de chemia experimentali

Cl. Mitscherlich; de physiologia *Cl. Ioh. Müller*; de pathologia et therapia speciali *Cl. Casper*; de medicina forensi *Cl. Wagner*; de akiurgia et anatomia chirurgica *Cl. Froriep*; de arte obstetricia *Cl. Hohl*; de auscultatione et percussione corporis humani *Cl. Meyer*; de operationibus obstetriciis *Cl. Litzmann.*

Clinica frequentavi *Beat. Rust* chirurgicum per semestre, *Cl. Krukenberg*, medicum *Cl. Blasii*, chirurgicum atque opthalmiatricum per octodecim menses; *Cl. Hohl* obstetricium per annum.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago semperque agam quam maximas.

Iam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso superatis, spero, fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur.

Theses defendendae.

I.

Illud medico imprimis spectandum est, ut in morbo unoquoque conamen observet, quo natura ipsa vim medicatricem indicet.

II.

In hernia incarcerata remedia alvum ducentia nocent.

III.

Excerebratio foetus non in sutura vel in fonticulo, sed potius mediis in ossibus capitis instituenda est.

IV.

Carcinoma uteri est malum constitutionis universalis, quo fit, ut curatio chirurgica raro prosit, plerumque noceat.